


ELEGIA *προπεμπική*

In honorem,

ERVDITA PIETA-
TE, SINGVLARI DO-
ctrina, ac laudata morum grauitate
ornatissimi Viri, DN: IOHANNIS
VARSANII, ex inclyta VVite-
bergenſium Academia poſt felicem
bienniſpacio in ſtudijs Theologi-
cis & philoſophicis profectum, redi-
turi in Patriam Vngariam. 8. Mañ.
perpetui amoris & beneuolen-
tiæ declarandæ ergò

Scripta à

IOHANNE CZAHOLIO, *Vngaro.*



VVITEBERGAE

Ex typographia Simonis Gronenbergñ.

ANNO M. D. LXXXVII.

ELEGIA.



ERerat, & Zephyri mulce-
bant omnia flatus,
Et violis dives Mensis
Aprilis erat:
Quando tuus Genius studio-
rū incensus amore,
Te procul à patrijs iussit
abire focus.

Aspicres Musas alio sub sole morantes,
Ingenio & valeas multa notare tuo.
Quicquid in orbe alio charū pulcrūq; videres,
Seruares memori pectore id omne tuo.
Atq; olim patria conferres letus in vsum,
Hac est in studiis meta tenenda bonis.
Iussa facis Genii, studiorum motus amore,
Nec piguit patrii relinquere rura soli.
Proposito sancto benè fauit rector Olympi,
Visus & auxilia semper adesse suo.
Parua mora est, patrijs longè digressus ab oris,
Difficilis sentis tedia amice via.
Attamen Arcloas properas animosus ad oras,
Quà propè conspicitur Menalis vrsa poli.

Hic

Hic populos vrbesq; videns consuetaq; iura
Saxonia letus ditia rura petis.

Indeq; Leucoream penetrasti saluus ad urbem,
Urbem, quam celebrem Saxona terra tenet.

Hanc prope cum strepitu decurrit spumifer Albis,
Atq; suis urbem nobilitauit aquis.

Hanc urbem ingrediens fausto sub sydere, IANÆ,
Latitæ Charites signa dedere nouæ.

Accurrunt socii, quos Leucoris alma tenebat,
Te capiunt manibus pectoribusq; suis.

Ter geminant alacres magno pia vota tonanti,
Quòd fuerit cæpta duxq; comesq; via.

Sollicitant precibus pro te pia numina sacris,
Ut faueant studijs, rebus & inde tuis.

Incolumis posses faciles lustrare Camenas,
Et facere officii munia certa tui.

Irrita non equidem socialia vota fuere,
Euentus docuit pondus habere preces.

Tu quoq; fundebas tensis ad sydera palmis,
Pectore sincero vota precesq; Deo.

Alme pater, nitidi sapiens moderator Olympi,
Te sine nil hominum cura laborq; valent.

Te precor ergo meis succurre laboribus istis,
In studiis cogor quos tolerare bonis.

Sint procul errores, me Spiritus ipse gubernet,
Atq; animus capiat nil, nisi vera, meus.
Nil nisi vera velim penetrabilibus abdere cordis,
Ergo regas studium Spiritus alme meum:
Instrue, quo possim confundere falsa docentes,
Qui turbant populum, Christe benigne, tuum.
Heu dolor, in patriam pravi irrepserunt SVITAE,
Qui meritum minuunt sanguinis usq; tui.
Sed perdes vanos paruo post tempore perdes,
Et vani merces digna laboris erit.
Sic ais, & studium, felici numine, sanctum
Incipis, ecce Dei dextra sacrata iuvat.
Coelitus en data sunt & paruo tempore parva
Munera, quae Cræsi sunt potiora bonis.
Felix quisquis amat, Domino duce, noscere verum,
Augmentum in studiis & posuisse bonis.
Cynthius auricomus dum bis sua signa peregit,
Æstas bis rediit, bisq; cucurrit hyems:
Sedulus in studiis noctesq; diesq; laboras,
Nil tibi nil parcis, molliciemq; fugis.
Non tua Cyprigena cruciabant pectora flamma,
Palladis in gremio sed tuus ardor erat.
Sicut apis varios flores delibat in agris,
Vtile quicquid inest colligit inde sibi:

Tu

Tu quoq; perlustras variorum scripta Sophorum,
Inq; tuos usus, quæ valere, trahis.
Officii nunquam faciebas munera segnis,
Inq; bonis studiis mens tua semper erat:
At magis tractabas cœlestia dogmata solers,
Unde est vera salus cognitioq; Dei.
Hac sine doctrina nulli est via vera salutis,
Hac sine nullus adit regna beata poli.
Sic tibi sic pietas crevit, doctrinaq; multa,
Sic gravitas animi semper amata tui.
Non ego nunc omnes dotes, pia munera Divum,
Enumero, quibus en vir bene docte nites.
Felix quem faciunt Musarum munera clarum,
Illius quoniam fama perennis erit.
Quid moror in verbis, virtus tua nota Camœnis
Leucoreis, quarum fidus alumnus eras.
Siccine dum Sophiam quaris, corpusq; fatigas,
Ecce valetudo debilitata tua est.
En scabies inimica tuos fœdavit & artus,
Hinc veniunt vitæ mille pericla tuae.
Ergo post varios casus, post mille labores,
Postq; graves morbos iam remeare cupis.
IANE paras abitum, Musarum limina linquis,
Quas aht in gremio Leucoris alma suo.

46

A 3

Optime

Optime IANE redis, redis ad natalia rura,
Linguens Albiacæ limina amata schola,
Hic habuere locum Lutherus, & ille Philippus,
Quos celebrat pleno Saxonis ora sono.
Arte Lutherus erat celebris, celebrisq; Philippus,
Laus remanet quorum dummodo mundus erit.
Hic habitant Musæ celebres, Germania felix,
Quas alit, hocq; loco docta Minerva manet.
Ergo siste gradum, nec desere Numina tanta,
Quæ faciunt nomen viuere in orbe tuum.
Aspice, tristatur sociorum turba tuorum,
Quos tibi in his terris conciliauit amor.
Candor & integritas, laudata modestia vite,
Te valuit doctis conciliare viris.
Doctiloquis placuisse viris non ultima laus est,
Quos celebrat Clarii turba nouena chori.
Ab mihi difficile est charum dimittere amicum,
Et procul è gremio semper abesse meo.
Difficile est certè consuetum rumpere amorem,
Amplius haud dulci colloquioq; frui.
Tàm subito dulci quòd consuetudine priuor,
O mi IANE, tua, cor mihi triste gemit.
Dum premeret diris me sors inimica procellis,
Tu mihi tu semper dulce leuamen eras,

Ab

Ab quoties dixti, memini, doctissime IANE,
Corpora conspiceres dum mea pressa malis.
Perfer & obdura, quoniam tibi proderit olim,
Sic poterisq; boni nomen habere viri.
Si bona suscipimus, cur non mala pectore eodem
Suscipimus? clemens mittit utrumq; Deus,
Dulcia non nouit, qui non gustauit amara,
Vulnera qui nescit, pharmaca nulla petit.
Hæc mala, crede mihi, lætus memorabis amicis,
Fato ubi res stabunt sub meliore tua.
Præteritos læta memoramus mente dolores,
Firmiter & laus est nos potuisse pati.
O medicus melior nemo est, quam fidus amicus,
Ut referunt veterum verba diserta virum.
Sed iam iam stabilis poscit sententia Fati,
Ut referas Patriæ munera parta tua.
Par est ergo tibi, multum dilectæ IOHANNES,
Ut precer à Domino cuncta secunda Deo.
Nam mihi semper eras sincero iunctus amore,
Iunxerat vnus amor te mihi, meq; tibi.
Perge igitur lætus patrios visure penates,
I decus, i patriæ grande future tua.
Instructus remeas Latiis Graisq; Camenis,
Immortale parant quæ tibi dona decus.

I precor,

I precor, & rebus patria succurrere lasse,
Dotibus ingenij, & quam potes, affer opem.
O tibi pro votis feliciter omnia cedant,
Conditio tua sit semper amica precor.
It comes ecce tibi MATTHIAS, fidus Achates,
Tellus quem genuit Iulia optima tibi.
Certè fidus is est, & amicus semper amico,
Ergo tibi solido iunctus amore manet.
Carpe viam letus, tibi sit dux rector Olympi,
Ut videas Patriæ limina chara tua.
Te saluum videant genitrix dilecta, & amici,
Qui cupiunt reditum, IANE diserte, tuum.
Ex me IANE, ferat VINCENTIVS ille salutem,
Ingenio clarus Vir, pietate gravis.
Illius quo non memorasses pectore nomen,
Prandia nulla tibi, cœnaq; nulla fuit.
I pede felici, comitetur cœlica turba,
Et videas vitæ tempora longa. Vale.

